



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cbris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 16. Etiam in temporalium rerum cura Deo nitendum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

168 Cap. VII. De reali, seu sacramentali,

est, quām si quis ab omnibus curaretur. Vt enim oratori olim peroranti, cæteris auditoribus sensim dilapsis, &c, solo Platone, post omnes, remanente, *Plato instar omnium fuit*, sic instar omnium, & præ omnibus, debet nobis esse Deus, qui solus sufficit, & infinitis modis omnium creaturarum auxilia excedit. Quemadmodum vnius præsentia atque lux Solis clarius lucet, quām lumina omnium stellarum reliquarum. Quare quisquis se ab omnibus mortalibus deserit videt, si ab eo noti amicique omnes recesserunt, si in se ipso nullum consilium, in alio nullum auxilium reperit, credat superesse Deum, & hunc sufficere existimet, clamētque cum S. Francisco: *Deus meus & omnia.*

§. XVI.

*Etiam in temporalium rerum cura Deo
nitendum esse.*

Quia verò sollicitudo stultorum mortaliū minimè curat spiritualia, maximeque circa victimum vestitumque versatur, necessarium duco, vt afferam plura diuinæ curæ exempla, quæ monstrant, Deum non deesse ijs, quibus omnia, etiam in rebus temporaliis, deesse videntur, è quibus apparebit, quām longè præstabilius sit, etiam propter

601-

corporis necessaria , spem in Deo , quām in
agris & fundis collocare : nulla enim gran-
do, nulla vredo , nulla tempestatum injuria
potest obesse, spem suam diuinitatis ancho-
rā fulcienti. Quod confirmauit Dominus,
cum Apostolis dixit: *Quando misi vos sine sac-*
culo & pera, nunquid aliquid defuit vobis? Luc. 22.
35.
nempe hoc est , quod olim dixit : *Oculi mei*
ad fideles terrae, qui etsi baculo aut gladio ca-
rent, tamen ab Angelo meo defenduntur . ;
si peram non ferunt secum , è nubibus pa-
nem illis mitto, & mensam instruo, ambro-
siā cœlesti conditam .

C A P V T . VIII.

Cur amicos suos parcet ac frugaliter, ini-
micos autem laute permittat vi-
uere Deus?

§. I.

Diversa Dei & hominum , homines in conui-
nis tractandi , ratio.

N principum aulis primæ admis-
sionis amici ac satrapæ , ceteris
conquisitiūs solent tractari ; & ,
quo quisque est nobilior , eò lau-
tiori mensæ adhibetur ; est enim cibi pre-
mium honor conuiuantis. Quamobrem &
L 5 Iose-